



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Semper Gavdendi

Demonstrata Ex Sola Consideratione Divinae Providentiae Et Per
Adventvales Conciones

Sarasa, Alfonsus Antonius de
Antverpiae, 1664

Tractatvs XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13517

TRACTATVS XII.

*Si statui
acquiescas,
etiam iis
statum
tuum effi-
cientur con-
tentus sis
oportet.*

*Neque a-
lia inuidit.*

*Neque plu-
ra expete
ob curam
filiorum,*

*Neque bo-
norum
operum fa-
cienlorum
pratextu.*

HInc illud rursus liquidò consequitur, quòd, si statu meo contentus viuam, nihil etiam debeam velle adiectum conditioni meæ, ne parùm quidem. An enim ob exiguum planè rem, ob exiguae opes, exiguum valetudinem, exigua commoda, à quum est queri me de benefactore meo, qui omnia reliqua mihi præsttit, præter exiguum quid, quod ego ingratus appeto? Certè nihil mihi deesse video; sola mea excruciat inuidia. In vicinâ domo paulò plus quòd videam commodi, idcirco mihi deesse videntur multa. Paupertate mē latus viuerem, si nemo ditor esset me. An verò hoc tolerandum est, aliena me quod excrucient bona; benefactorique meo ingratus quòd sim, idcirco quòd in alium magis mihi visus est beneficus? At verò non fuit; mea enim, meo statui commensurata sunt; adiiciendum est nihil, ne statum mutem; meus mihi proprius est, & solus meus.

Quòd autem filiorum cura, diuitiarum mihi augendarum mentem iniicit, nugæ sunt, & cupiditatis meæ tegumenta sanè puerilia. Filiorum curam à Deo habeo; igitur & filiorum ipse est Dominus. Si pauper sum, etiam filios pauperes voluit Deus; idcirco voluit ex me nasci, & quidem plures esse voluit, vt præ me, pauperiores adhuc essent. Curandi igitur liberi; sed magis curandus Deus, mentisque meæ tranquillitas. Plures opes nolo, vt mihi & ipsis bene sit, dum viuo; mortuo verò me, filiorum curam aget, vt solet, Deus.

Neque maiores mihi aut opes, aut dignitates, aut scientiam, aut ingenij quidquam adiici, cupio, quasi maiora tum aut Misericordiæ, aut virtutum aliarum opera præstitus: prætextus hi sunt, inuentaque, sed falsissima. Illud enim liquido comperi, cum fortunâ mutandum me, neque facturum ea quæ modo volo; video enim nihil tam facile inter opes, quam beneficentia venam exarescere. Vix quisquam miseretur, qui miser non est; nec miseriis tangitur alienis, qui suis non vrgetur. Non itaque aliud volo, nec tantillò quidem augeri desidero, ne illicò aliud siam; & verò etiam alius: Sufficit id quod sum.

TRACTA-